





5
DISPUTATIO JURIDICA

Inauguralis

De

ABSENTIA,

quam

Præsente & Auxiliante divino numine

Authoritate & decreto Magnifici, Nobilissimi & Con-
sultissimi Ictorum Ordinis in Illustri Salana

PRÆSIDENTE ET DIRIGENTE

VIRO

Amplissimo, Consultissimo & Excellentissimo

Dn. ERASMO UNGEPAUR,

Icto & Antecessore ibidem Celeberrimo, Consili-
ariè Saxonico Gravissimo, Curiaè Provincialis & Scabinatus
Assessore dignissimo, facultatis Juridicæ Seniore maxi-
mè venerando, Præceptore fautore & promo-
tore suo colendissimo,

PRO LICENTIA in UTROQUE JURE Insignibus
& honoribus Doctoralibus ritè impetrandis
publico examini submittit,

JOACHIMUS GEISMER


Rostochiensis

Ad diem 6. Julij.

JENÆ,

LITERIS STEINMANNIANIS.

Anno M. DC. XXXIX.



DISPUTATIO JURIDICA

Inauguralis

ABSENTIA

gram

Præsentis & Auxiliæ divini nunquam
Autoritate & deo Magister, Nobilitate & Con-
suetudine in hunc ordinem in hunc ordinem

PRÆSENTIS ET DIRIGENTIS

VIRO

Amplissimo Consilio & Excellentissimo

DR. ERASMO LINGEPARUR

ICo & Antecessore ibidem Celeberrimo, Coadju-
aris sacrotheologico, Cuius Provinciae & Episcopus
Altorf dignissimo, Facultatis Juridicæ Seniori maxi-
me venerando, Præceptoris iustitiae & primo
sore suo colendissimo.

Pro Licentia in Urrogo, are insignibus
& honoribus Doctoratus rite impetranda
publico examini submittit

JOACHIMUS GEISMER


Rothochiensis

diebus d. Julij

JENÆ

LITTERIS STEINMANNIANIS


Anno M. DC. XXXIX.





בשם עדותנו ישוע משיח

THESIS I.



bsentia in Jure Justiniano pro di-
versitate subjectæ materiæ multifariam
accipitur, & quidem in genere refertur
vel ad rem vel ad personam. Rei absen-
tia plurimos sortitur modos, quos expri-
mit *Ulpianus in l. 13. S. 1. & 2. & Paulus in l. 14. ff. de V. S.* Dicitur autem res abesse vel propriè vel per Juris interpretationem.

2. Propriè res abesse creditur, cum ita perit, ut nusquam exstet, nec amplius sit in rerum natura, quod contingit per rei interitum tam naturalem quam quemlibet alium. Naturali interitu perit vel res animata, & per mortem abesse dicitur: vel inanimata, quæ ita obiit casu, ut nusquam exstet; puta cum naufragio vel incendio consumta est: Vel res quidem est in rerum natura, sed vel nobis abest, vel formâ mutata redditur.

3. Forma mutatur vel totaliter, vel partialiter: totaliter per corruptionem, vel specificationem: per corruptionem, cum manente materia vel eodem corpore, forma figura vel dispositio perditur vel laceratur, ut cum vestimentum scinditur, scyphi colliduntur, tabulæ pictura raduntur, vel navis in tabulas resolvitur, ubi res quæ à forma dependet, & esse suum habet, abesse per ejus corruptionem dicitur.

4. Specificatione forma mutatur, cum ex certa vel rudi materia arte & industria humana aliqua species formatur, vel prior in aliam formam & speciem transformatur, ut si ex rudi auri vel argenti massa fiat vas vel annulus, vel ex vino & melle mulsum, s. cum ex aliena *f. de. R. D.* Quæ nova species dicitur abesse materiæ Domino, & cedere formæ fabricatori, modo tamen ad materiam pristinam reduci



non possit. d. §. cum ex aliena. & insuper hæc specificatio bona fide sit facta l. 12. §. 3. ad exhibend.

5. Partialiter forma immutatur vel per meliorationem, vel deteriorationem rei. Per meliorationem, quando rei augendæ vel exornandæ causa aliquid adjectum est, ut cum tabula aliena meis coloribus pingitur §. si quis in aliena. Instit. d. R. D. vel si purpura aliena alterius chlamidi intextatur §. si tamen alienam. J. eod. quæ accessio non est nudum quoddam adjunctum sed locum partis, adeoq; causæ formalis subit, ut materiæ Dominus eandem vindicare amplius non possit l. in rem 23. §. 2. ff. de R. V.

6. Per deteriorationem mutatio formæ contingit, quando formam priori vel corpore manente rei aliquid detrahitur, ut si servus debeat, & is vulneratus vel eluscatus tradatur, vel statu liberum promissor ex noxali causa exhibeat l. qui sibi 33. ff. de solut. & liber. l. 1. ff. si ex nox. caus. vel si causa integra non restituatur l. ex hoc. ff. de alien. Jud. mut. vel si solutio fiat non ea qua debuit forma l. eleganter. 24. §. qui reprobos ff. de pign. act. quibus casibus res reddita non videtur, quæ diminuta redditur Gedd. ad l. 14. de V. S. modo dolo vel culpa diminuta sit ab eo, qui dolum vel culpam ex Jure contractus præstare debuit Gedd. d. l.

7. Juris intellectu seu interpretatione res recuperata quandoq; abesse dicitur, videlicet cum propria res numerato pretio à nobis ignorantibus est recepta, suæ enim rei emptio non subsistit, & quod semel meum est ex alia causa meum fieri amplius non potest l. 3. §. ex plurimis. ff. de acquir. vel amitt. posses. quæ res hic dicitur abesse quoad æstimationem, quia æstimatio, quæ patrimonium nostrum minuit, est penes alium.

8. Insuper & abesse dicitur res in qua obligati sumus l. 28. in fine ff. de negot. gest. & pecunia fidejussori abesse creditur, etiamsi debitor ab eo sit delegatus creditori, licet solvendo non fuerit l. 26. §. abesse ff. Mandati.

9. Deniq; abesse res intelligitur, quatenus qui rem legatam sibi emit, pretio caret, cujus nomine ex testamento habet actionem l. 34. §. quod si rem. 7. ff. de legat. 1. Et hæc-

us

nus quot modis res abesse dicitur, de quibus singulis vide plenius *Gad. in Com. ad. l. 13. & 14. ff. de V. S. Et Andre. Alciar. eod.*

10. Absentia Personæ itidem variis, & ut vult *Bald. in l. presens. ff. de pact. penè infinitis contingit modis: In genere abesse dicitur persona vel animo l. 109. de V. S. l. 27. §. coram. ff. de recept. arbitr. Vel corpore: vel utroq; simul l. f. de V. S. & contingit vel verè, vel per jurisdictionem.*

11. Communiter quatuor modis aliquis dicitur absens. 1. Qui est extra Urbis continentia l. colleg. §. 1. & l. absentem ff. de V. S. 2. qui à iudicio abest. l. non tantum. §. abesse. ff. de fideicom. libert. l. 4. §. prator. de dam. infect. 3. Qui non est in provincia l. f. C. d. Prescrip. long. temp. pr. f. de Usuc. 4. Cujus vox exaudiri non potest l. 11. princ. d. V. O. §. item. f. de Inut. stipul.

12. In Jure tamen nostro propter multitudinem diversorum casuum pluribus absentia contingit modis: Propriè absens dicitur, qui non adest in loco, ubi debebat adesse. Vocabula tamen Abesse & Locum non tam strictè hic accipimus, quasi ille solum absens sit, qui est extra urbis continentia: vel locus tantum sit superficies ambientis corporis: Sed sicut in laxiori significatu varia vocum acceptio, ita diversimode contingit esse in loco vel abesse.

13. Interdum namq; locus significat totum territorium vel provinciam, quæ Jurisdictione unius terminatur, aliquando Urbem, oppidum vel pagum notat, quandoq; forum vel ædificium designat l. fundi. ff. de V. S. Unde qui est extra provinciam pro absente habetur l. f. §. ultim. C. de bon. auth. Jud. possid. Vel qui non est in eadem provincia l. f. C. de long. temp. prescript. qui est in alieno territorio vel regno *Bart. in l. 3. §. 1. quest. 8. ff. de duob. reis.* Hodie autem & pro absentibus habentur, qui in diversis comitatibus domicilia habent. *Accurs. in l. f. C. de long. temp. prescript.* Et *Ulpianus* dicit, eum videri abesse, qui in jure non est l. 4. §. prator ait. ff. de dam. infect.

14. Absens porro est, qui in loco ubi adest, domicilium non habet, ita ut qui nullibi domicilium habet, nullibi

præfens esse dicatur, ut peregrinantes qui tantummodo in patria domicilium habere intelliguntur. Vagabundi autem ubiq; pro præsentibus habentur *gloss. in l. f. C. de præscrip. 20. vel 20. ann.*

15. Quandoq; respectu loci absentes dicuntur, qui freto vel pariete interjecto, aut alio modo separantur, ut nec videri nec audiri possint *Gedd. ad l. 13. §. final. de V. S.*

16. Absens quoq; est, qui non est in loco, in quo petitur *l. absentem ff. de V. S.* Dommodo extra Urbis sit contentia, quorum intuitu aliàs præfens esse videtur *l. 5. & l. 6. ff. de Procur. nisi latitet l. 199 ff. de V. S.*

17. Absens dicitur qui in Jure non est *l. 4. §. Prætor ait. ff. de damno inf.* Et qui à tribunali abest *l. non tantum. §. Abesse. de fideic. libert.* sic & qui extra territorium jus dicentis est. *l. Heres absens, & ibi gloss ff. de judic.* Vel qui est in loco, sed facile conveniri non potest, *Abb. post. Anton. in c. quoniam. n. 21. Ut lit. non contest.* seu qui est interterritorio, atamen in locum non sine maximo incommodo venire potest. *Roland. Passag. infor. cap. in testam. rubr. 28.* imo & qui latet, quiq; si præfens esset, judicium suscipere cogeretur. *arg. l. 3. de judic. & qui in domo non reperitur l. mulierem. junct. gl. in verb. abesset. ff. de rit. Nup. l. de pupillo. §. Siquis. ff. de Nov. oper. Nunc.*

18. Juris quoq; fictione quandoq; præfentes pro absentibus & contra absentes pro præsentibus habentur, unde inter absentes referendus, qui habet declinatoriam fori *l. 28. §. 4. ff. Ex quibus causis mai.* Item qui non consentit, vel ignorat, vel non intelligit, quid agitur, licet præfens sit. *l. 2. §. 3. de Jur. codicil. l. 1. §. 1. ff. de auth. & cons. tut.* Unde abesse vel inhabiliter adesse, & prorsus non esse, in idem recidunt *l. 1. §. 3. vers. & quidem. ff. quod cujusq; Univ. nomin. Andr. Tiraq. d. LL. connub. gl. 7. n. 20.*

19. Si quis sine debita potestate adfuerit, quasi absens repudiari potest, cum ut modo dictum, paria sint, abesse & inefficaciter adesse *l. si quis ff. de test. tut. l. si quis. l. eos qui. ff. de rit. nupt. l. 1. §. sed etsi. ff. de suis & leg. her. l. 1. §. pen. C. de. Cad. toll.* Unde & Religiosus, cum corpore quidem horis inter-

est,

est, sed nec canit, nec legit, nec quicquam, quod officii sui est peragit, sed toto tempore vel dormit, vel garrit, absentis poenam incurrit.

20. Absentis loco habetur, qui in vigilibus castrisve urbanis militat. *l. si maritus §. 3. ff. ad. l. Jul. de Adult.* quin & mortui habentur pro absentibus, quia non amplius sunt, & quia reverti & adesse, quoad actus humanos gerendos, amplius non possunt.

21. Dicitur & absens, qui in utero est, quia nondum in hanc lucem venit, qui & in his, quæ ipsi nocent, pro non nato & nondum in rerum natura existente habetur *l. qui in utero. ff. de stat. hom.*

22. Contra juris intellectu in certis casibus abesse non videntur, qui vel Reipub. vel studiorum causa absunt, vel militant *Jac. Menoch. consil. 182. lib. 2.* item qui ab hostibus captus est, *l. Absentem. ff. de V.S.* non tamen qui a Prædonibus vel latronibus detentus *d. l. Absentem;* quamvis quoad edictum de majoribus restituendis etiam ab hostibus capti pro absentibus habeantur *l. 7. & l. 14. ff. ex quibus causis mai.*

23. Sic & per contumaciam absens habetur pro præsentem *l. in causa cognitione. pr. vers. causa. ff. de minor. proinde appellare non potest, nec sententiam ejusq; effectus retardare, licet fidei jussores offerat. l. 1. C. quor. appel. non recip. l. 13. §. 3. C. de Judic. nec non & is per contumaciam abesse dicitur, qui adest quidem ab initio, sed illicentiatus decedit Bart. in l. consentaneum. C. quom. & quand.*

24. Animo absentes dicuntur Furiosus, demens, pupillus, adolescens, ebrius, dormiens, quia non intelligunt, quid agitur, licet sint corpore præsentem *l. Diem proferre. §. coram. ff. de recept. arbitr. l. 2. §. Furiosus. ff. de procur. reliqui modi, arbitrio judicis committendi, secundum Felic. in c. quoniam. n. 9. Ut lit. non contest.*

25. Diversimode autem hæc absentia genera proratione Subjectæ materiæ applicantur, ut is, qui hoc casu absens

mox

mox diverso casu præsens dicatur, quare accurata eorum
separatio & distinctio facienda.

26. In materia usucapionum & præscriptionum pro
absentibus reputantur, qui non sunt ejusdem provinciæ, aut
in eodem territorio *l. fin. C. de long. temp. præscr. §. 1. J. de Usu-
cap. gl. in pr. J. eod.* quin imo qui habet domicilium, licet
persona ejus diu absens fuerit, nihilominus pro absente
non habetur, sibiq; id imputare tenetur *Bald. cons. 488. d. l. fin.
C. de long. temp. præscr. nec non & is, qui reliquit familiam
& filios in loco, se absentasse respectu domicilii, dicendus
non est, Alex. Cons. 89. in fin. lib. 5.* Nec is inter absentes refe-
rendus quo ad effectum præscriptionis, qui sub eodem præ-
sede vel ducatu in alia civitate vel loco habitat, quia licet
civitates & loca sint diversa, tamen quando sub unius prin-
cipis sunt imperio, absentem facere non possunt: Si verò ci-
vitates sunt diversi Domini, vel etiam proprium habent
regnum & de facto superiorem non agnoscunt, tunc quæli-
bet civitas facit quasi provinciam, & inter absentes er-
ga invicem incolæ vel cives reputantur *Alex. d. cons. 89. lib.
5. n. 18.*

27. In contractibus & stipulationibus absentiam æsti-
mamus, si contrahentes tanto intervallo absunt. ut se invi-
cem exaudire nequeant *l. 1. l. ult. ff. d. V. O. l. pen. C. de contrab.
vel commut. stip. §. item. J. de inutil. stipul.*

28. In judiciis & denunciationibus absens est, qui in
Judicio aut domi non est, vel qui est extra continentia urbis
d. l. Absentem. de V. S. Vel qui citatus non est, aut quem citari
difficile est. *l. aut qui aliter. in pr. ff. quod vi. Alciat. in l. Mulieris. §.
Abest. d. V. S.* paria enim sunt non facere, & non commodè
facere posse *l. Nepos ff. eod.* vel etiam, qui citatus non compa-
ret ad eum, de quo quæritur, actum *l. §. Prætor ait. ff. de damn.
inf.* aut qui domi vel foris latitat *d. l. Absentem. de V. S. l. 2. l. 7.
§. illud. ff. quibus ex causis in posses. eat. l. 21. §. 2. vers. Caterum. ff. ex
quib. causis mai.*

29. In testamento testis absentiam censemus ex eo,
quod testatorem vel videre vel audire non possit testantem

l. He

l. Heredes. ff. qui testam. fac. poss. l. non speciali. C. de testam. idem in genere ad materiam testium accommodari potest.

30. Circa procuratorem dandum absentiam æstimamus, si extra continentia urbis sit constitutus, nam intra continentia urbis degentis Domini Procurator præsentis appellandus *l. 1. §. f. l. 6. & 7. de procur.*

31. Reipub. causa & propter militiam absentes magis causa quam loco absentiam æstimant: at studiorum causa abesse dicuntur, qui in Academiis vivunt & peregrinantur.

32. Quoad Tutoris dationem pro absente demum habetur is, qui non est in urbe vel civitate, municipio aut oppido, nec in ejus continentibus, ubi tutor petitur, quare præter quinquaginta dies ei datur tempus ad se excusandum *S. qui autem vlt. f. de Excus. tut. l. 3. de V. S. l. scire oportet. §. Multa. l. quinquaginta. ff. de V. S. l. 6. C. eod. l. 1. de Admin. tut.*

33. Absentes dicuntur canonici, vel de Universitate, quod non sunt in civitate, vel in loco servitii non degunt *l. quoties. C. de legat. §. si vero. in Auth. C. de Exhib. rei. l. ut perfectius. ff. de ann. except.*

34. Et hæc de absentia Homonymia & respectu diversarum materiarum diversâ absentia applicatione. Proximum est, ut in ejus quasi species, differentias & modos inquiremus, & quidem primò in genere, deinde in specie.

35. In modis & differentiis absentia respectu diversorum casuum determinandis, non una omnium est sententia, Menochius in *Tract. de recup. possess. in remed. 6. n. 16. inquit: Communem omnium Dd. opinionem esse, quod quinque sint genera constituenda. I. Absentia Necessaria & probabilis, ut cum quis Reipub. causa abest. l. 1. in pr. ff. ex quibus causis mai. Vel causa militiæ. l. 40. Ex quibus causis. item causa infirmitatis l. quæsitum. 60. ff. de re judic. qui hyeme vel navigatione impeditus abest. l. si cui. 38 §. plane. ff. ex quibus causis mai. Odd. de rest. in integr. part. j. quæst. 7. Sic & qui ab hostibus captus est, quod quandoq; extenditur ad captos à latronibus & Prædonibus.*

36. II. Absentia probabilis tantum, non necessaria, ut

B

qui

qui studiorum causa absunt, & propter bonum publicum peregrinantur, quibus propterea in jure multa privilegia concessa sunt *Aut. Habita. C. Ne filius pro patre.* & qui favore religionis absunt. *Castrens. in l. Filius familias. §. procuratorem de procurat.*

37. III. Absentia necessaria & non probabilis, ut in Ban-
nitis, relegatis & qui metu criminis commissi recesserunt.

38. IV. Absentia voluntaria sine contumacia, ut in ne-
gotiatoribus & aliis, qui sui lucri & commodi causa absunt
Gloss. in l. aut religios. ff. de procur.

39. V. Absentia Voluntaria cum contumacia, cum legi-
time citati à Judice contumaciter comparere non voluit *l.*
contumacia. §. ff. de Re Judic. Mynsing. in comm. §. de Action.
n. 22. & seq. Jason in §. rursus. in pr. §. de Action. Card. Tusch. tom.
7. pract. concl. in verb. Absentia. licet quandoq; in sui odium
habeantur pro presentibus. l. properandum. §. sin autem. C. de
Judic.

40. Verum *Sfortia Oddus in tr. de rest. in integr. part. 1. quest.*
5. art. 7. statuit, modo dictam divisionem esse defectivam,
quia nihil ponit de Absentia Ordinaria ex causa domicilii,
quæ tamen hinc inde occurrit in materia restitutionis, citat-
que astipulantem. *Bald. in l. fin. C. de prescr. 10. vel. 20 annor.*
Ulteriusque invehitur in divisionem communem, quod ni-
hil agat de absentia necessaria, quæ licet non sit laudabilis
id est, prærogativa digna, tamen non sit vituperabilis & im-
probabilis, ut absentia litigii causa & similes.

41. Aliam igitur substituit divisionem, quod absentia vel
sit ordinaria vel Extraordinaria. Ordinaria, quæ ratione
diversi domicilii causatur. Extraordinaria quæ talis sit
respectu discessus & absentationis personæ accidentalis, quæ
vel Necessaria vel Voluntaria.

42. Necessaria, quæ ex jussu causantur Principis, vel legis,
& est vel laudabilis, prærogativâ, præmio & honore digna,
qualis absentia Reipub. vel militiæ causa: Vel vituperabi-
lis, quæ causa relegationis, vel Banni, vel timore pœnæ susci-
pitur, locumque habet in excommunicato: Vel neutra,
quæ

quæ nec laude vel vituperio digna, ut in captis à latronibus,
& qui litigii causa absunt.

43. Voluntaria quæ sponte suscipitur, est itidem vel laudabilis, ut absentia studiorum, vel vituperabilis, quæ sine causa suscipitur, vel otii, voluptatis vel latitationis gratia, quæ & contumacia dicitur: Vel neutra quæ nec laudabilis nec vituperabilis, ut quæ mercaturæ vel lucri causa suscipitur. *Odd. in tr. de rest. in integr. d. l.*

44. Addunt non nulli & alias absentia differentias, vel potius adjuncta: Ut abesse bona fide *l. 30. ff. de Noxal. L. 19. de damn. infect.* Vel dolo & mala fide *l. 34. de reb. auth. Jud. poss. l. 5. ex quibus caus. mai.*

45. Respectu temporis, alia absentia dicitur brevis, alia diuturna, quæ tamen Judicis arbitrio committitur determinanda. *Hypoll. de Marsil. in l. 14. de question.*

46. Ratione effectus quidam distinguunt absentiam in damnosam & non damnosam: Damnosa cum vel ipsa absentia per se nocet, vel pœna absentiaë damnum infert; licet enim absentia alicujus semper æqui bonique sit consulenda, *Bald. in l. Bonæ fidei. C. de jurejur. in odium tamē ejus non semper excusatio admittitur; hinc fit, ut absentes comparentur & habeantur pro mortuis Boeri. Decis. 88. n. 2. cum primis quantum ad hæreditatem consequendam, vel ad beneficia impetranda, aliasque similes condiciones ecclesiasticas obtinendas. l. Multa. in pr. ff. de condit. & demonstr. Bald. in l. Martet. n. 18. C. de Rei vind.*

47. Absentes Electores legitimè vocati, & in termino non comparentes, vocem perdunt. *Aurea Bull. c. 1. S. Princeps verò. c. quod sicut. de Elect.* nec absentes computantur in numerum eligentium, etiamsi ratificent: *Innoc. in c. in genesi. de Elect.*

48. Pauperes absentes à civitate vel loco domicilii legantis pauperibus, non continetur sub tali legato, quod factum est pauperibus in civitate, vel loco legantis. *Alex. conf. 91. n. 7. lib. 7. maximè, si per decennium absint. Alex. d. l. n. 8. Card. Tusch. concl. 34.*

49. Curiales, qui sine licentia se absentarunt, puni-

untur reversi, & si per biennium steterint, pronuntur post
quintum in ordine ejus, quem precedebant; Si per trien-
nium, ponuntur post decimum: Si per quadriennium,
incipiunt tanquam novissimi: Si per quinquennium, spo-
liantur & privantur cingulo, quo erant honorati, ut
quasi pro mortuis habeantur. *Bart. in l. penult. C. de do-
mest. & Prot. Alex. Cons. 54. n. 5. lib. 4.*

50. Episcopus in jussu Principis absens ultra annum,
munere suo privatur. *Nov. 6. c. 2.* Advocatus absens ul-
tra biennium sine comteatu, vel ultra quinquennium cum
comteatu, à loco Judicii, perdit matriculam & privile-
gia collegii. *L. per hanc. & ibi Bart. C. de Advoc. div. Jud. l. 3. C.
de primic.*

51. Studiosus vel Scholaris absens à studio vel Acade-
mia per quinquennium iterum debet immatriculari *l. 2.
C. Eod. l. 1. C. de domest. & protect.* & Absentes qui tenentur
residere, puniuntur multis modis *Conc. Trid. sess. 6. c. 1. & 2.
per reform. & sess. 23. ibid.*

52. Forensis, qui contraxit domicilium in loco, si rece-
dit, & stat absens per quinquennium, præsimitur dereli-
quisse domicilium, maximè si reversus sit in patriam.
*Alex. d. l. In Judiciis reus se absentans, habetur pro
confesso l. contumacia. 53. ff. de re Jud. In præscrip-
tionibus 20. annorum absentia dominium aufert. pr. j. de
Usucap.*

53. Non damnosa absentia dicitur, quæ vel damnum
non infert, vel si illatum sit, per restitutionem in inte-
grum succurrit: sic enim *Prætor de absentibus in l. 1. ff. Ex
quibus causis mai. Si cujus, inquit, quid de bonis cum metu, aut
sine dolo malo reipub. causa abesset, in vinculis, servitute,
hostiumque potestate esset. & paulo post: Si qua mihi alia justa
causa esse videbitur, in integrum restituam.* Ratio est: quia in
absentia necessaria & probabili, quoad favorabilia, ha-
bentur pro præsentibus. *l. Absentia. ff. de R. j.* Secus quam
in necessaria & non probabili, nunquam enim absentia
juvat Bannitum, Sed habetur pro præsentem in damnosis,
& re-

& retinet omnia munera, quæ ei sunt onerosa. *Bald. conf. 54. Roman. conf. 73. n. 3.* Et si hæc necessaria & odiosa absentia damnum dederit ingens, sibi imputet absens, quod non reliquerit procuratorem. *Jas. de res. act. ad tit. de Action.*

54. Hæc necessitas relinquendi procuratorem etiam locum habet in absentia voluntaria. *Ias. in l. in jus vocare. 2. n. 29. de in jus voc.* nemo enim ex quacunque causa excusatur, si commodè potuit habere procuratorem. *Tuf. d. l. aliquando tamen absentia voluntaria in damnosis excusat, non tam ex capite absentia, quam ignorantia. Oldrad. conf. 313. n. 7. & seq. ubi plura refert exempla. Alex. conf. 71. lib. 1. n. 21. absentia namq; justam inducit ignorantiam. Bart. in l. cum filius. §. in hac. ff. d. V. O. in pr.* Imò datur in damnosis quandoq; restitutio ab probabilem ignorantiam. *Corn. Conf. 219. lib. 2. Dec. conf. 58. col. fin. & conf. 164. col. fin. Paris. conf. 100. n. 74. lib. 1.* ignorantia enim culpa imputari non potest. *l. argentum. ff. commodati.*

55. At qui ex iusta & necessaria causa absunt, iis non debet imputari, quod per procuratorem sibi non curarint subveniri. *l. Sed & si 26. §. fin. ff. ex quibus caus. mai.* non enim commodè semper fieri potest, ut à prefecturis Reip. causa, vel captivis, aut metu detentis, idoneus procurator deligatur, cum quandoque proficiscentium tanta sit festinatio, vel alia necessaria impedimenta, ut iis non veniat in mentem, ut administrationem bonorum & negotiorum aliis demandent: imo quandoq; licet procuratorem relinquunt, si tamen per ejus negligentiam damnum illatum est, adjuvari debent, si malint restitui, quam interesse mandati actione persequi. *l. 16. §. f. ff. ex quibus caus. mai.* Cur enim his ceu diligentibus Patribus familias minus succurrendum esset, quam illis, qui res suas aliis committere neglexerunt. *l. pupillus. 24. ff. que in fraud. credit. nec melioris debent esse conditionis, stulti, quam periti. l. servius 4. ff. quod vi aut clam.*

56. Absens porro & ignorans puniri non debent. *l. generali. C. de tabular. l. ex malef. §. 1. de O. & A. nec contra absentem, nisi sorte contumacem, inquisitione procedi potest de*

B 3

jure.

jure *Clar. in pract. quest. 11. pr. Farin. de inquis. lib. 1. tit. 2. quest. 1. n. 69.* licet consuetudo quandoq; contrarium docet. *Maria in C. qualiter & quand. n. 91. de Accus.* multò minus iudex contra reum absentem procedere definitivè potest, si ei videlicet de causa non liquet, quod si fiat culpa absentis rei, missio fit in possessionem bonorum ejus, sin autem culpa actoris non liquet, reus est absolvendus. *Paulus de cast. ad l. prope-randum. S. sin autem. C. de Judic.*

57. In criminalibus quoq; nec absens propter delictum, quod ipsi absenti imputatur, definitivè condemnari potest. *l. absentem 5. ff. de pœn.* Nec de jure Canonù contra absentem, lite nondū contestata, deveniri potest ad condemnationem, aut ad testium receptionem. *Abb. in c. Verit. n. 20. & 27. de dol. & contum.* ita nimirum, ut puniatur corporaliter, vel pœnâ corporis afflictivâ afficiatur, rectè tamen ad religationem, vel confiscationē bonorum proceditur *d. l. Absentem. de Pœn Bald. in L. Absentem. C. de Accus. Anton. Gometz. in l. 86. Tauri. n. 1. Boss. in tit. de requireis. n. 1. Joh. Fab. in l. cunctos. C. de Trinit.* Si verò statuto sic disponente, iudex contra absentem definitivè procedere potest, ut corporaliter puniatur, tunc potest extraneus allegare innocentiam delati absentis, *Bald. Conf. 100. & 107. & quatenus alleganti causas denegaretur probatio, appellari potest. d. conf. 100. Synt. agm. comm. opinion. tom. 2. p. 444.* an autem promiscue in criminabilibus procurator pro absente, & quatenus admitti debeat, infra videbimus.

58. Explicatis itaq; modis & differentiis absentiae, in specie nunc subjicienda absentiarum exempla & casus, in quibus absentiae ratio habenda & quidem ordine illo, quem in speciebus absentiae referendis secuti sumus. In necessariâ & probabili absentia primum sortiri videntur locum, qui Reip. causa absunt.

59. Absens autem Reip. causa is videtur dicendus, qui publici muneris vel officii gratia mittitur à Principe *Boc. in quest. 17. n. 7.* Vel Repub. aut è contra mittitur ad eos, quales sunt, proconsules, qui ad ærarium delati, aut in commentarium Principis *l. 32. ff. ex quibus c. ius. mai.* nec non ii, qui

qui missi sunt, ut milites ducerent, aut reducerent, aut legendo
di milites curam generent. *l. 35. pr. ff. Eod.* Qui ad malos ho-
mines compescendos mittuntur. *d. l. 35. §. 5.*

60. Milites qui in castris degunt, vel in castra eunt, re-
deuntve, pro Repub. absunt *l. 7. Eod.* An autem milites ab-
esse sint dicendi, qui domi vel in patria militant, & ex hoc
gaudeant restitutione ex edicto, maximè dubitatur; cum &
alii magistratus, qui domi, pro Repub. publico funguntur
officiò, non hoc habeant beneficium, licet vel maximè ma-
jori emolumento & commodo sint Reipub. Verùm circa
hoc dubium observandum, quod milites, quia rebus suis su-
peresse non possunt, non restituantur ex causa absentiae, sed
potius ignorantiae; milites enim jura ignorare creduntur.
Odd. d. rest. in integr. part. 1. quest. 6. art. 7.

61. An porro hoc beneficium edicti specialis Soli Reip.
Romanae, an verò & aliis simul competat, inquirendum: &
primo intuitu pro Repub. Romana pugnare videtur. *l. Sed
et si. §. Final. ff. ex quib. caus. mai.* At veritati & aequitati magis
consonum esse videtur, quod illi, qui absunt suae civitatis
causa, Reipub. scil. suae causa rectè abesse dicuntur, quia &
aliae civitates indigent hujusmodi absentibus suorum civi-
um, & milites qui pugnant pro patria sua, restituendi sunt
ex eodem capite, quo restituntur, qui pugnant pro urbe
Romana, idem igitur & hic dicendum. *Odd. d. loco.*

62. Nectantum actu militantes hoc privilegio gaudent,
sed & ii, qui causa exercitus, & illius utilitatis gratia in bellum
eunt, licet non militent, ut Ductores, quaestores & lectores mi-
litum, Medici, Juridici & alii ministri Justitiae, & caeteri id gen-
us, qui exercitui inserviunt, quo & militum mulieres referendae
l. 1. C. de Uxor. milit.

63. Navicularii quoque & negotiatores, dum annonae urbis
inserviunt, Reip. causa non malè abesse dici possunt *l. 5. §.
Negotiator. 3. ff. de jurib. immun.* Sic & qui missi sunt ad gratu-
landum Principi, huc referuntur. *d. l. 36. §. 1. vel denique; qui
aliam ob causam Reip. causa extra urbem abeunt. d. l. 35. §. 3.*

64. Reip. igitur causa abesse non videntur, qui non co-
acti, sed liberà legatione, & sui commodi causa absunt. *l. 14. ff.
d. legation. l. 4. in. fin. l. 36. ff. ex quib. caus. mai.* ingerens enim
se of-

Se officio contra publicam sanctionem, beneficio absentis non fruitur, nec illicitum factum ulli dat privilegium, *l. Si cui 38. §. 1. ibidemq; Bald. ff. Ex quib. caus. mai.* quinimo non Reip. sed potius affectata & sua causa abesse censetur, qui est in officio exigni valoris. *Ludov. Rom. Sing. 597.*

65. Quis à civitate mittitur ad aliam, an is pro Repub. abesse dici possit, plurimi dubitant, & licet eum ex justa causa abesse, negari nequeat. *l. 26. §. fin. ff. Eod. Jason. in l. cum quidam. ff. de acquir. Hered. & in §. rursus. J. de Action. d. n. j. ad 6.* quia tamen publici appellatio, ad populum Romanum plerumq; pertinet, cujus respectu reliquæ civitates sunt privatorum loco. *l. 15. & 16. ff. d. V. S. ex causa Reip. abesse non videntur. §. 26.*

66. Milites etiam, qui non in expeditione versantur, si incommeatu degunt, pro Rep. abesse non intelliguntur. *l. 1. ff. de re mil. l. 34. pr. ff. ex quib. caus. mai.* militum enim privilegia non extenduntur extra castra. *Odd. de rest. in integr. part. 2. quest. 6. art. 5.* Deniq; nec servi Reipub. causa abesse possunt. *l. ult. de R. J. beneficiorum enim juris civilis non sunt capaces.*

67. Abesse autem Reipub. causa incipiunt, ut primùm ab urbe profecti, licet nondum provinciam exceßerint, ad usq; donec in urbem revertantur. *l. 32. ff. ex quib. caus. mai.* imò tamdiu abesse videntur, quamdiu officio suo præsent, quod si finitum fuerit officium, jam desinunt abesse Reip. causa, proindeq; illis mox tempora ad revertendum computantur, quibus reverti in urbem potuerant, scil. ea, quæ lex revertentibus præstitit. *l. 3. ff. de V. S. l. 1. ff. Si quis caution. nisi forte infirmitate, vel propter hyemen, navigationem, aut similem casum impediantur; in quibus ratio humanitatis semper haberi debet. l. 38. §. 1. ff. ex quib. caus. mai.*

68. Quia autem publicum officium nemini debet esse damnosum, sicut nec in fraudem alterius alicui esse lucro vel compendio. *l. 29. ff. Eod. l. 140 ff. de R. J.* Proinde summis in jure hæc absentia gaudet privilegiis, ut in favorabilibus habeantur pro præsentibus. *Menoch. cons 182. l. 2. & in edicto Prætoris maximo studio cavetur, ne per id tempus, quo Reip. causa absunt, lædantur, & indultum eis beneficium restitutionis in integrum. l. 1. ex quib. caus. intra annum tamen*

tamen à die scientiæ petendū, quod beneficium hodie à die reversionis ad quadriennium extentitur. *Faber hic n. 15.* eaque restitutione impetratā, intra annum eis conceditur actio rescissoria adversus usu capientem. *gloss. hic Mynsing. in §. 5. l. de Action.* Imo procuratorem profecturi constituere non tenentur, etiam lite contestatā *L. Sed etsi. §. ff. eod.* ut eo libentius publica onera suscipiant. Nec modo iis datur restitutio adversus privatos, sed etiam adversus Fiscum, & cōtra alium simul Reip. causa absentem, *l. ult. ex quib. caus. maj.* non attento, quod Privilegiatus adversus privilegium nō utatur beneficio. *Bart. & Dd. in Auth. quas actiones. C. de SS. Eccles.* Non enim procedit hæc regula, quando alterius privilegium est prægnantius, vel quando alter agit de damno vitando, alter autem de lucro captando: quando verò uterque tractat de damno vitando, præfertur is, qui habet justiorē causam. *l. 11. §. pen. & l. seq. ff. de minor. Mynsing. in §. rursus §. I. de Action.*

69. Restituuntur quoque Reip. causa absentes legati & Ambasiatores, non tantum in damno, quod domi passi sunt, sed etiam raptis vel derobatis in itinere damna sunt resarcienda. *arg. l. cum duobus. §. 2. §. quidam ff. pro socio.*

70. Non tamen ad lucrum odiosum datur hoc beneficium. *l. sciendum 18. ff. ex quib. caus. maj. vel si sibi dari hanc legationem ultro petierint. l. 4. l. 36. ff. eod. vel si lædantur damno fatali, quod nihilominus passuri fuissent, etiam si nunquam Reip. causa abesse cœpissent, veluti si per alluvionem pars aliqua prædio fuerit detracta, viciniq̄ agro adjecta, reversi ex hoc capite & beneficio partem prædii amissam repetere non possunt, quia præsentis idem damnum sensuri fuissent. l. is qui 34. ff. eod. Zas. in §. rursus. de Action.*

71. Sic & beneficium hoc cessat, si non fuerint reversi, cum commode reverti potuissent, *d. l. 4. pr. ff. eod.* redire enim debent mox finito officio, nisi forte, ut supra diximus, infirmitate, tempestate vel alia prægnante causa impediatur. *l. si cui. 38. §. tamdiu. ff. eod. l. 53. §. pœnam. ff. de re judic.*

72. Si verò Reipub. causa affuturus procuratorem dederit, restituendus num sit? negandum videtur, si modo per eum defendi potuit *l. is qui 39. ff. eod.* quia actione mandati suum consequi potest.

○

73.



73. Absentes potro Reip. causa excusantur quoque à tutela, tum suscepta, quamdiu absint: tum suscipienda, ad quam vocati, per annum habent vacationem. *Sicem qui reip. l. de excus. tut. l. 47. ff. de excus.*

74. Obsides alicubi diutius detenti, cum non malè & hi Reip. causa abesse, dici possunt, c. ex rescripto de jurejur. re-ctè ex hoc capite absentie videntur restituendi. *l. succurri- tur. in pr. ff. ex quib. caus. maj. l. in eadem causa l. nec non eod.*

75. Sic lege Mennia eorum nomina, qui Reip. causa ab-erant, inter reos recipi interdictum fuerat, ut refert *Sveton. in Jul. Cesare. c. 23.* Hoc namque casu iudex supersedere de- bet à procedendo adversus reum donec causa ipsa cesserit, quã si non attenda, nihilominus procedat ad ulteriora, pro- cessus ipso jure nullus. *Jul. Clar. sent. lib. 5. quest. 34. n. 1. & ha- ctenus de absentia Reip. causa; sequitur proximè absentia propter studia.*

76. Studiorum causa absunt, qui in exteris vivunt Aca- demis, studiisque ibidem indulgent, vel qui studiorum & morum instruendorum causa extra patriam peregrinantur, hi an ex probabili & justa tantum causa, an verò etiam ex necessaria causa abesse dici possint, haud immeritò contro- vertitur: & quidem communiter Dd. uno ore probabili ex causa eos tantum abesse contendunt, nisi *l. nec non. ff. ex quib. caus. maj.* ubi studiorum absentia expressè probabilis voca- tur, & à necessaria separatur.

77. Verùm contrariae sententiae non minus eruditi viri astipulantur, moti hisce rationibus: quod hæc absentia non minus ac Reip. publicè utilis fit, ergo & necessaria, arguendo nimirum à militia, cujus utriusq; eadem esse ratio videtur. Nec enim minò defendere videmur fortunas nostras literarum peritiã, quam armis. *l. Nemini C. de advoc. div. Judic. & causa- rum Patroni non minus sunt utiles imperio & Reip. quam milites. Denique idem astruere videntur l. Advocati. juncta l. fin. C. de Palat. Sacr. larg. lib. 11. ubi militum & Doctorum par- dicitur esse militia, & quod paria debeant esse eorum pri- vilegia.*

78. At circa ultimam hanc sententiam accuratè dis-
gendum, quod hæc necessitas non sit consideranda respec-
tu ipsius exercitii, an hoc officium necessariò, vel volunta-
riè sumatur: Sed respectu effectus & finis, cujus intuitu non
minus necessarium dici poterit hoc studium Reip., quam
militaris scientia; quia sine literarum, præsertim legalium,
peritia, malè civitates gubernari, & civium opes juraq; de-
fendi possunt. videatur *Odd. in tr. de rest. in integ. part. 1. quest.*
7. artic. 14.

79. Dicuntur autem, qui studiorum causa absunt, non
minus ex privilegiatâ causa abesse, & ex amore scientiæ in-
voluntario & spontaneo exilio vivere. *Auth. Habita. C. ne fil.*
pro patr. quorum maximè propterea misereri par est. Et pro-
inde in dicta *auth.* Imperator ex speciali quadam dilectione
eos ab omni injuria defendi mandavit, & generali & in per-
petuum valiturâ lege decrevit, ut temeratores hujus sacrae
constitutionis, qui vel scholaribus injuriam inferre vel tan-
tùm præsumant, maximo supplicio afficiantur, imò etiam
Rectoribus ipsis locorum, qui hoc vindicare neglexerint,
gravissimam pœnam restitutionis rerum ablatarum, infam-
iæ & depositionis ab officio, dicitur, in *d. Auth.* unde ea-
dem privilegia illis tribuuntur, quæ competunt iis, qui ab-
sunt causa sui Principis, vel Universitatis. *c. ad Audientiam. in*
fin. extr. de Cleric. non resid. juncta l. Scia S. Pamphile ff. de fund.
instr. & extenditur hic summus favor ad Patrem filii absen-
tis, ut si is absit filium in studio visitaturus, & interim in ali-
quo ei hæc absentia noceat, restituatur. *per gl. in l. 2. § legatur.*
in verb. venerit. ff. de Judic. quam sequitur Cass. Valasc. in l. im-
perium. n. 188. ff. de jurid. omn. Jud.

80. Restituuntur etiam Scholares hoc casu ex clausu-
la edicti generalis, si qua alia mihi justa causa videbitur. *per l.*
nec non. 28. ff. ex quib. caus. maj. Nec tenentur relinquere procu-
ratorem, nisi lis cum eis cœpta & contestata sit, quo casu co-
gitare debent, adversarium litem in absentia non relictu-
rum: & si procuratorem reliquerint, à quo non legitimè
fuerint defensi, non restituuntur, nisi prius excusso procura-
tore, qui si satisfacere non possit, nec sit solvendo gaudent

quidem restitutione, sed tantum ad appellandum, quia ipsi-
met quodammodo in culpa esse videntur, quod non idoneū
reliquerint procuratorem. Si verò procurator mortuus fuit,
vel eos defendere non potuit, tunc restituantur ad totam
causam. l. 1. §. f. ff. *Quand. appel. Auth. Hodie. C. de Appell. L. Di-
vvs. ff. de Minor. gl. in L. f. ex quib. caus. maj.*

81. Quæri hic solet: An & ii gaudeant beneficio absen-
tium, qui in patrio Gymnasio vel Academia præceptoribus
santâ & eruditione florentibus uti possunt, & tamen sine
causa quandoque alias invisunt Academias? Hoc casu re-
spondendum videtur, quod quandoque præstet, locum mu-
tare, quam semper patrio foco delicatissimus adhærere, non
enim facilè mores mutant, qui domi semper resident, perpe-
tuoque cum iisdem conversantur.

82. Hujus quoque loci est: an scholares sumptus studio-
rum conferre teneantur? & quod regulariter non tenean-
tur, quicquid studiorum causa & in libros emptos impendi-
tur, probare videtur l. *que Pater. 50. ff. famil. Hercif. Bart. in l.
1. §. Nec castrense. ff. de collat. bon. Bald. in l. filia. ff. famil. Hercif.
Jas. in Auth. quod locum, c. de collat. idque non tantum obtinet
in patre, sed & si mater sumptus suppeditet. l. Alimenta. C. de
negot. gest. nisi fortè credendi animo patrem misisse fuerit
comprobatum. d. l. que pater. Credendi autem animus præ-
sumitur, si filio aliunde facultates suppetebant, vel si aliun-
de ex certo stipendio, annuatim studiis legato, vivere possit,
tunc enim creditur parens administratorio nomine de filii
bonis has impensas potius fecisse, quam de suis. arg. l. 34. ff. de
negot. gest. l. f. 58. ff. de petit. Hered.*

83. An verò ex eo probari possit animus credendi, quod
parens rationibus suis inseruerit sumptus, vel annotarit, du-
bitari posset? sed verius esse puto, quod memoriæ non cre-
dendi animo hoc fecerit, cum pietas parentis & ipsa æquitas
non patiatur, ut in dubio in rationem portionis, quæ ex de-
functi bonis ad filium pertinet, hi sumptus computentur d. l.
que pater 50. fam. Hercif.

84. Porro qui ex causa infirmitatis abesse cœperunt, ex
probabili & necessaria causa abesse, non immeritò censentur,
tur,

eur, si enim quis propterea abest, ut oportuna ac salutaria remedia & medicamina quaerendo, propriae salutis consulat & balnea famosa inquirat, vel celebratissimum aliquem medicum sive Chirurgum adeat, ut hac ratione sanitati prospiciat, cum in patria Medicorum ope destitutus, vitae & salutis rationem habere non possit; si hic tempore absentiae damno afficiatur, ei restitutio deneganda non est, per l. sed est. §. ff. ex quib. caus. maj.

85. Sic qui abesse compelluntur, ne suo morbo aliis nocent, ut qui propter pestem, lepram, aut alium morbum contagiosum urbe expulsi fuerint, & sanitati pristinae restituti, revertantur, si interim damnum aliquod passi fuerint, eorumve jura peierint, restitutione digni videntur, cum nulla sua culpa, sed necessitate absuerint. vid. Odd. in tr. de rest. in integr. part. 1. quest. 7. art. 11. & 12.

86. Ex eadem quoque causa abesse intelliguntur, qui vel capti ab hostibus in servitute detinentur, vel latronum malitia impediuntur, l. 1. in pr. ff. ex quib. caus. maj. l. item ei. eod. l. ait Praetor. §. is autem. ff. eod. & licet capti ab hostibus secundum praescripta juris, nulla bona possidere possint, & quasi mortui habeantur, ut restituendi non videantur l. recte. ff. eod. fictione tamen juris, cum spe futuri postliminii bona sua retineant. l. 1. §. 1. eod. omnino restitutioni locum faciunt. Si vero contingat, ut sine periculo ex hostium manu vel vinculis privatis evadere quis possit, nec tamen in patriam revertatur, hoc beneficio, utpote quod necessitati tantum & quidem extraordinarie inservit, gaudere non potest, l. quibus diebus. ff. de cond. & demonst. Sfort. Odd. de rest. in integr. part. 1. §. 7. art. 7. n. 65.

87. In detentis autem a latronibus diversum jus obtinet, quia illi primo ordinarie persequi tenentur latronem actione in factum, pro restauratione totius damni & interesse, quod interim passi sunt. l. 2. in fin. junct. l. seq. ff. si quis caut. ita tamen si habere regressum ad latronem, & hac actione damnum resarcire possint, quo casu non gaudent restitutione: Sin autem hac actione ordinaria sibi consulere non

possunt, restitutio in subsidium illis deneganda non est, *l. succurrit. ff. ex quib. caus. maj.*

88. Quin imò si quis injustè detineatur à potentiore quodam & terribili, contra quem non sine magno periculo & incommodo actione experiri possit, ei restitutione in integrum, ceu securiori & pingviori remedio succurrendum. *Rimin. lib. 1. cons. 163. per vos.*

89. Tandem & edicto suo Prætor eos, ceu ex eodem capite absentes, complectitur, qui metus causa absunt. *l. 2. §. hoc a. ff. ex quib. caus. in id tamen porrò inquirendum, quis ille metus sit, qui hanc absentiam facit necessariam, ut restitutioni locus sit. Communiter Judicis arbitrio eum esse æstimandum, statuunt l. 3. ex quib. caus. Bart. in l. Hæc autem. ff. si cui plusquam per L. Falc. Decius in l. in omnibus n. 7. de R. J. Menoch. de arb. Jud. lib. 2. c. 35. n. 3. quia enim circumstantiæ variant metum, quarum non semper rationem lex habere potest, Judicis hoc muneri & officio determinandum rectè injungitur.*

90. Æstimare autem Judex debet tum ipsum malum, ceu causam metus, tum Personas, tam metum inferentes, quam quibus infertur. Mala quæ rationabiliter timenda, potiora hæc esse videntur: Mors & cruciatus corporis *l. si per vim. C. quod met. caus. c. cum dilectus. extr. quod met. causa. Vincula, quorum maximus metus per l. nec timorem. ff. quod met. caus. quibus nonnulli addunt carcerem Abb. in cap. Accedens. n. 2. de procur. Maur. de rest. in integr. c. 401. Deinde bonorum & fortunarum omnium perditio. c. 1. extr. quod met. caus. Menoch. de arbitr. Jud. lib. 2. cas. 135. n. 9.*

91. Honoris & pudicitiae amissio *l. metum. 2. ff. quod met. caus. status & libertatis jactura gl. in c. pen. in verb. Metum mortis. extr. quod met. caus.* Bellum tam civile quam externum, quo neq; tutum in patria morari, vel eo redire licet. *Paul. de castr. in cons. 135. col. fin. lib. 2. Felin. in d. c. accedens. Menoch. lib. 2. de arbitr. Jud. cas. 153. n. 12.* Pestis in loco contagioso, cum primis si & hoc accedat, ut jus illic locorum eo tempore non reddatur. *Rom. cons. 163. n. 3. Menoch. de arb. Jud. lib. 2. c. 153. n. 19.*

92. Estimatis causis metus, quoq; personarum habere rationem iudex debet, an qui comminatur, sit Rex vel Tyrannus, vel talis persona, quæ verisimiliter timeri debet, quarum minæ iustum faciunt metum, *l. metum 3. ff. quod met. caus.* Cæterum quia minæ quandoque tantum suspicionem inferendi metum fovere videntur. *l. 2. C. eod. l. Hac a. ff. si cui plus quam per l. Falc.* proinde tum demum minæ iustam metus habent excusationem, si is qui minas dedit, exequi quoque minas soleat, & severior sit in factis, quam in verbis; minæ enim gloriosi alicujus Thraſonis nullius esse debent momenti, nec hic attenduntur. *gl. in l. metum. C. quod met. caus. l. Fulcin. §. 1. ff. de quib. caus. in poss. eatur, ex personis enim hominum dicta pensanda. l. un. C. si quis Imp. maled.*

93. Juramento constrictus de non discedendo de aliquo loco, iustam habere videtur absentia excusationem, ut si non ex speciali, saltem ex generali clausula sit restituendus, quia vinculo juramenti detentus, captus quodammodo abest *c. ex rescripto. de jurejur. imò ex iusto metu hic abesse videtur, cum iustissimus & gravissimus sit metus perjurii. arg. l. 3. ff. ex quib. caus. maj. & anima cunctis bonis sit præferenda. l. sancimus. C. de SS. Eccles. proinde & ex hoc capite restitui potest. l. 2. §. 1. ff. ex quib. caus. Odd. d. l. n. 50.*

94. Ex necessaria tantum causa absunt primo Banniti, quos Cicero illos vocat, quibus aqua & igni interdictum est. Aliis Bannum est exilii species, quæ ab antiquis proscriptio dicta fuit, quod nomen videtur esse neotericum, cum res sit antiquissima. *Oldendorp. ad tit. de Hered. inst. l. 2. n. 14.* Bannum definit, quo omnia humanitatis jura, vicissitudinesq; officiorum & commercia interdiciuntur rebellibus: Vel quod sit quædam coercitio delicti vel contumacia, quæ ex autoritate legis, Jurisdictionis aut iudicis principaliter procedit.

95. Competere autem Banni indictionem jure soli Cæsari plures autumant, qui generalem ubiq; jurisdictionem habet: Cæteris Magistratibus non Banno, sed relegationibus aliisque pœnis utendum esse.

96. Cæterum constituit *Oldendorp. d. l. tres Banni species*, quas hodiè in Germania frequentari putat: quod *primum* fiat à Camera Imperiali, ubi si quis bannitur, idem est ac si quis banniretur ab Imperatore, qualiter bannitus perdit omnia jura civilia, ubicunq; locorum sit. *Secundum* Bannum fieri dicit *Rotvvilæ*, ubi itidem est iudicium imperiale, attamen limitatam habens jurisdictionem, quæ extenditur in *Alsatiam*, *Brisgoiam* usq; ad *Rhenum*, ut Bannitus à *Rotvvilensibus*, quidem dicatur amittere omnia jura civilia, eo quod bannum hoc fiat nomine Imperatoris, at effectus ejus non extendatur ultra limites jurisdictionis *Rotvvilensium*. *Tertio* ait procedere Bannum in *VVestphalia*, quod quidem iudicium Imperiale, at & ipsum certos habet fines, & ideo pro finium ratione bannum inflictum operatur.

97. Porro secundum illum quoq; nonnullæ civitates *Italiae*, ut *Venetia*, *Pisæ*, *Senæ* & aliæ, quæ præscripserunt sibi jura fiscalia, ita ut habeantur in territoriis suis pro Imperatoribus, Banni pœnâ utuntur; ita tamen, ut sicut Jurisdictio, sic & exercitium & effectus banni commensuretur territorio. *Oldend. d. l. n. 17.* Nos a. Bannum dupl. statuimus, Imperii & Provinciale: Imperii vocatur *Universale*, reliquorum verò Principum *particulare*. *Magn. Nobiliss. & Ampliss. Dn. Petrus Theodoricus, Jctus, Facul. Jurid. Ordinarius, Præceptor & Patronus meus honorandus, in Coll. crim. disp. 11. Th. 4.* Quorum quoque respectu pœnâ magnam esse differentiam statuimus.

98. Effectus autem Banni est, ut in jure civili banniti habeantur pro mortuis, & pœna deportationis hodiè sublata, in quibusdam comparentur deportatis. *Accurs. in G. relegati. l. quib. mod. patr. pot. solo.*

99. An verò bannum *Universale* differat à *Censura Imperiali*, vulgo *Keyserliche Acht*. *Dd. variant.* quidam hanc dant differentiam, quod hæc censura primo sit *annalis*, antequam confirmetur, & quod adiurat pacem & securitatem publicatis personis & rebus; Bannum verò non sit tempore limitatum, & efficiat, ut sic Bannitus apprehendi quidem possit in quolibet iudicio, sed non passim occidi: At quia
Ban-

Banni verbum generale, rectius. *Oldendorf. d. l. Bannum hodie dicit vocari Die Acht / & nomen Banni manere in Ecclesiastica Excommunicatione. n. 14.*

100. Bannum autem quia contingit vel ex delicto, vel quandoque ex contumacia, proinde mox graviori, mox leviori poenae subjacet, de quibus poenis *Oldend. dict. loc. & Jul. Clar. lib. 5. sent. quest. 71. n. 5. & seqq.* indeque Restitutionem quandoque impetrant, vel per modum gratiae vel per modum justitiae. *prædict. Dn. Ordin. d. loc.*

101. Si autem Bannitus gratia Imperatoris vel Principis veniam poenae consequatur, non inutiliter quaestio movetur, an bannitus ex causa absentiae à banno causatae sit restituendus? ad quam respondetur, quod licet quis non debeat ex eodem facto premium & poenam consequi. *l. Si ve ff. de neg. gest. gl. in l. Si cui. in pr. Eod.* cum banniti pro hostibus civitatis sint habiti. *Bart. in l. ut vim. ff. de J. & J. col. 1. nec eorum absentia justa videatur l. Papinianus. ff. de minor. communiter tamen Dd. eos ex capite absentiae esse restituendos asserunt. per l. Si qua militi S. 1. ff. ex quib. caus. mai. non enim bannito jam rebannitus, vel in gratiam restitutus, ea perdidisse videtur, quae concernunt publicam utilitatem, qualis est restitutio. *Bald. & Alex. in l. cum mulier. ff. ad S. C. Vell. licet vel maxime durante banno ea amisisse appareat. Nell. in tr. ban. part. 1. temp. 2. n. 69.* Nec obstat, quod eorum absentia sit culposa, sufficit enim quod fuerit necessaria.*

102. Sic quoque condemnati ad *Tiremes*, post tempus poenae completum, si ad tempus fuerint condemnati, ex hoc capite absentiae restitutionem petere possunt, nec obstat hic delictum, cum non propter delictum, sed propter poenam delicti absunt. *Odd. de rest. part. 1. quest. 7. art. 3.*

103. Ex hac necessitate licet quoque absint relegati tamen quia non eis commercium, ut bannitis interdictum, non ex hac causa restituuntur, quia possunt procuratorem dimittere: quem si forte dimittere non potuerunt, vel dimissus post modum mortuus sit, hoc casu restituuntur. *l. Sed etsi. S. 1. ff. ex quibus caus. mai. & ibid. gl. Bart. Bald. Alb. &*

D

alsi.

alii. l. Papinianus ff. de minor. Excipitur quoque casus quo causa fuerit ardua, quæ manibus procuratorum, propter præjudicia, quæ absenti crearentur, facile non est committenda, quo casu dici potest: quod non possit, qui commodè non possit. l. Nepos. ff. de V. S. & tum ex clausula generali restituntur.

104. Absent denique absentia necessaria carceratus: hic an propter absentiam in carcere causatam ex capite justæ absentia sit restituendus? disceptatur: & videtur quod beneficium ei non possit competere, cum hæc absentia ex proprio delicto fuerit causata. l. Si cui in provincia. in pr. ff. ex quib. caus. mai. Verùm contraria sententia jure nostro magis comprobata. per l. succurritur eod. l. Vinculorum l. Verum est. ff. de V. S. non modo si in carcere detineantur, sed etiam si sub fidejussoribus duntaxat. l. nec non §. quis, ibiq. Bald. ff. ex quib. caus. quia paria sunt sub custodia & sub fidejussoribus teneri per l. 3. ff. de Custod. reor. & ratio esse videtur, quod rebus suis superesse non possunt. l. non enim. l. in eadem. ff. ex quib. caus. Si verò carceratus potuit procuratorem mittere & mittere neglexit, ex causa absentia non excusatur nec restituitur. l. Papinianus. §. 1. ff. de minor. Nisi forte carceratus postea innocens fuerit repertus, quo casu, quia pro veritate passus fuit, & quasi pro publico bono abfuit, restituitur, licet procuratorem non miserit. Dec. cons. 138 n. 7. in fin. Odd. de rest. p. l. quest. 7. art. 5.

105. Ad Voluntaria absentia exempla jam progressuri paucis agemus de Absentia in præscriptionibus: nec enim exigua ratio absentia habetur in materia Usucapionum & Præscriptionum adeo ut cum contra præsentem decem annis perficiatur, hoc beneficium in absente ad 20. annos in rebus immobilibus corporalibus & incorporalibus extendatur pr. §. de Usuc. & si is contra quem præscribitur quibusdam annis est præsens, & aliquot annis absens, adjiciendi sunt supra decennium tot anni, quot annis ex decennio fuit absens. Auth. quod si quis. C. de Præscript. long. temp. Myns. in comment. J. de Usucap.

106. Fendum verò 30. annorum præscriptione acquiritur. *cap. unic. §. Si quis per 30. annum tit. 26. lib. 2. feud. in actibus civilibus 40. annorum præscriptio currit contra absentem l. omnes. C. de præscr. 30. vel 40. ann. quæ plenissimam parit securitatem, nec impugnari restitutione potest. Odd. p. 2. quest. 90. art. 2. n. 18.*

107. Quia verò, ut principio diximus, præsentia vel absentia non uno modo semper ubique accipiuntur, sed varias pro ratione materiæ accipiunt interpretationes, idem & hic observasse usu venit.

108. Æstimatur autem absentia in negotio usucapionis ex eo, cum præscribens, & is, adversus quem præscribitur, in eadem provincia, quæ ab uno præside administratur vel in uno territorio ubi civitates suas proprias habent administrationes domicilium non habent. *L. fin. C. de long. temp. præscr. ubi gl. & Dd. Felin. in c. quoniam. n. 10. Alciat. in l. Mulieris. ff. de V. S. Balb. de præscript. in 9. part. 4. quest. 4. in fin. At inter clericos eadem provincia dicitur respectu ejusdem Archiepiscopatus. Salic. in L. fin. C. de long. temp. præscr.*

109. In materiâ hæc præscriptionum communiter magis attenditur identitas vel disparitas domicilii, quam corporalis personæ absentia vel præsentia, ut probata videatur absentia, probato, eum nullum ibi habere domicilium. *Specul. de præscr. & Ceph. conf. 29. n. 14. vol. 1. & c. contra: ad præsentiam sufficere videtur, quempiam fovere domicilium in eadem provincia, in quâ præscribens habitat, licet absit quoad præsentiam corporalem. d. L. ff. C. de long. temp. præscr. & ibid. gl. Angel. Bald. ceteriq; Dd.*

110. Unde si is contra quem præscribitur habitet quidem in eadem provincia, in qua præscribens habet domicilium, nihilominus quia in aliâ provinciâ gaudet domicilio, contra ipsum tanquam præsentem præscriptio decennii male intentatur. *Junoc. in c. de quarta. de præscript. & si contingit, ut quis in pluribus provinciis habeat domicilium, dicendum videtur, eum in omnibus esse pro præsentem habendum.*

111. Dubitari hic posset, si præscribens non habet domici-
lium, ubi rem præscribendam possidet, an præscriptio
istiusmodi sit inter præsentès vel absentes dicenda? & resp.
Bald. in L. fin. C. Ubi in rem. act. quod sit habenda pro præscripti-
one inter præsentès, & quod ex quo præscribens sortitur
forum in loco rei sitæ, quasi domicilium ibidem contrahere
videatur.

112. In præscriptione statutaria secus quandoque se res
habet, & probatur absentia nonnunquam ex eo, quod absit
tantum à loco, licet ibi habeat Domicilium. *Paul. Castr. cons.*
94. n. 3. vol. 1. Bald. cons. 488. n. 1. vol. 1. nisi familiam vel liberos
in civitate relinquat, qui cum sunt quasi pars corporis, ab-
esse non erit dicendus. *Angel. Cons. 269.* quin & is, qui metu
morbi abest, absentis beneficio gaudere potest, licet domi-
cilium relinquat. *arg. L. 1. ff. Si quis caut.* dummodo tamen de
iusta ejus absentia constare possit, licet in favorabilibus ha-
beat pro præsentè *L. 1. C. de ann. ext. L. questum, ff. de leg.*
1. l. si quis. ff. de cond. & demonst. & isto casu valet regula: *Non*
valenti agere, præscriptio de jure non currit. d. L. 1. C. de ann. ext.
quia tempore morbi iustitia tam facile exerceri non pot-
est *Calc. in cons. 3. n. 30.* & præscriptio sicut belli tempore
dormire dicitur, ita & tempore morbi contra impedimen-
tum hoc non currit. *L. 1. §. si quis. ff. de itin. act. priv. Mascard.*
de prob. vol. 1. concl. 7.

113. Sic & diversam statuunt nonnulli rationem esse
habendam circa præscriptionis tempus, in provin-
cia amplissima, quam angusta, quia in illa facilius Domi-
nus ignorantiam prætere rei possit, quàm hic qui
in angusta habitat provincia, proptereaque æquitati ma-
gis esse consonum, ut plus temporis, secundum modera-
tionem supremi principis, concedatur in amplissima pro-
vincia habitanti, quàm ei, qui in angustâ domicilium con-
traxit. *Bachov. vol. 2. disp. 22. th. 4. tit. H.*

114. De Absentia præscribentis hoc notandum: Quod si
is dolo se absentat, vel latitat ad hoc ne actor præscriptio-
nem interrumpat, eundem actori esse condemnandum non

cano

tantum ad damnum emergens, sed & ad lucrum cessans
& omne interesse. *l. f. pr. ff. de eo per quem fact. l. arbitrio. §. si
cujus dolo. ff. de dolo.* Si verò ex alia causa sine dolo abest, &
interea auctori tempus lapsum sit, habet restitutionem ad il-
lud tempus, nec enim sicut absens damnum, ita neque lucrum
captare debet. *l. i. ff. de rest. mai. l. act. prator. pr. l. item ait. §. i.
ff. ex quib. caus. mai.* Si tamen impedimentum hoc removere
potuit, nec removit, vel per citationem adversarii *l. cum no-
tissimi. C. de prescr. 10. vel 20. ann.* vel petendo dari procurato-
rem bonis absentis, quod defenderetur & lis peragi & ad de-
finitivam sententiam perveniri potuisset, vel etiam si jure
novo datâ interrumpendi formula, stante absentia rei non
usus sit: *l. Ut perfectus. C. de ann. exc.* non restituitur, suæq;
id negligentia, non impotentia adscribere debet, *Bart. in l.
ignorare. C. de rest. mil.*

115. Sic etiam si adversarius relinquat, qui eum defen-
deret, non datur, restitutio quia habuit, quem convenire,
& cum quo experiri potuit. *l. i. l. is qui. l. item ait. §. hec autem
ff. ex quib. caus. mai.* nemo enim in civilibus tenetur persona-
liter comparere, sed potest id per procuratorem præ-
stare. *l. i. §. nunc autem. ff. de procur.* imò auctoris est inquirere,
an absens reliquerit procuratorem, quia ignorantia hic
excusationem non meretur. *L. ergo pr. ex quib. caus. mai.* nec id
modo, sed insuper tenetur inquirere, præconio saltem pub-
lico, an quis habeat amicum vel consanguineum, qui eum
defendere velit, ut is intra certum tempus se defensionem of-
ferat. Quæ tamen diligentia inquisitionis incontumaci-
ter absente necessaria non est. *gl. in. c. prolatum, in verb. pa-
rentib. extr. qui filii sunt legit.* Sed sufficit, ut publicum edi-
ctum ad valvas domus ejus affigatur, *gl. in. d. verb. parentibus
s. quoniam. §. 220. ut lit. non contest. vid. Odd. de rest. in integ. quest.
12. art. 7.*

116. Absentiam hanc proximè excipit absentia in sti-
pulationibus, quæ & hujus generis esse videtur. Ad sti-
pulationem autem perficiendam tria cum primis requirun-
tur. 1. Consensus. 2. Verborum solennitas, quæ utrin-

D. 3. que

que fit interrogatione & responsione, & 3. Præsentia partium; unde mox fluit, inter absentes stipulationem non posse contrahi. *l. 1. pr. ff. d. V. D. S. item. J. de inut. stipul.* Sed in absentia partis factam ipso jure esse nullam:

117. Inquirendum itaque primò hic est, quis in contractu stipulationum propriè absens dicitur: & censentur in hoc casu absentes, qui se invicem exaudire nequeunt, licet corpore sint præsentés. *gl. Bart. & Dd. in l. 1. pr. ff. d. V. O. & in S. item. J. de inut. stip. Alc. in l. Mulier. S. ab est. ff. de V. S.* Unde qui præsens est & non intelligitur, præsens propriè in hac materia dicendus non est. *l. cor. ff. d. V. S. l. diem. S. Coram. de arbitr. Bald. in l. 1. quest. 2. de error. Advoc. Bart. ibid. & in l. 1. S. propter ff. de postul. Specul. S. 1. de test. Abb. in c. pervenit. de testib. cog.* Nec sufficit proferre verba, nisi alter alterius verba auribus haurire possit. *Rimin. sen. 12. cons. 277. n. 1. vol. 2. arg. l. 1. pr. ff. de V. O. & l. 1. C. d. Usur.* Si itaque contingat, ut in diversis conclavibus vel cubiculis commorantes, vociferando sibi invicem stipulentur & promittant; præsentés stipulasse dicendi erunt. *Bald. in. d. l. pr. n. 8. contra mutus & surdus quasi absentes, quia nec vocem proferre, nec se invicem audire possunt, stipulationem concipere non censentur. l. Discretis. C. qui test. fac. poss. S. mutum. & ibi Od. J. de inut. stipul.*

118. Quamvis quoque propter solennitatem hujus actus semper in stipulatione præsentia præsumitur, quæ de jure civili simul complectitur intelligentiam, *arg. l. coram. ff. d. V. S. l. diem. ff. de arbitr. Immol. in l. Hered. n. 2. ff. de testam.* aliquando tamen ea probanda venit per testes, qui non tantum partium præsentiam, sed etiam eorum intelligentiam deponere & probare tenentur. *Bart. in l. 1. in fin. ff. de auth. tutor. & in l. diem proferre. S. coram. De V. S. Bald. & Immol. in l. Heredes. in pr. de testamens.* nec enim ex præsentia semper præsumitur intelligentia, cum præsentia intelligentiam naturaliter arguere non videatur, quia eam necessariò non sequitur *arg. l. 1. S. fin. & ibi Bart. ff. de Auth. Tutor. præsertim*

tim in eo, ex cuius personæ qualitate notitiam haberi non præsumitur; item in eo, qui in alium finem præsens est. *Ceph. conf. 183. n. 18. 20. & seq.*

119. Et porro hæc præsentia probatur etiam ex instrumento Notarii; ita ut ex verbis præsentia etiam simul intelligentia præsumatur. *Natt. conf. 124. n. 12. vol. 1.* verba namque Notarius in instrumento ponere videtur, ut civiliter intelligenda sunt. *Ceph. d. conf. 183. n. 30. Bart. in l. Quod si. ff. de test. tutel. & in l. 1. C. de Usur. & instrumenta cum effectu accipienda, sicut & lex, testator vel contrahens, si dicat aliquid præsentem aliquo fieri debere, intelligentiam semper includit. *Socin. Sen. in conf. 114. col. 3. vol. 2. cast. & Felin. in proem. Gregor. n. 31. Alciat. in l. 1. pr. n. 3. d. V. O.**

120. Excipiuntur autem à prædictis piæ causæ, in quibus absentia partium propter summum earum favorem non abest. *Bald. in Auth. similiter. C. ad l. Falcid. & in l. illud. C. de S. S. Eccles. & stipulatio parte absente facta semper rata habetur etiam si verba in ipsos absentes contra ejus naturam sint directa. *Bald. in c. innotuit. de Elect. & Rimin. Sen. conf. 118. n. 19. & seq. vol. 1.**

121. Hodie quoque communi consuetudine & stylo Germaniæ receptum est, ut non minus valeant fidejussiones inter absentes per epistolam contractæ, ac si inter præsentem per solennia stipulationum essent celebratæ, modi enim qualitas usque adeo non attenditur, ubi finis & effectus intentionem habent. *Trent. vol. 2. disp. 28. th. 4. L. A. Hering. de fidejuss. c. 11. n. 28.*

122. Porro nunc deveniendum est ad Absentiam in Judiciis, quæ fere ab omnibus absentia generibus aliquid participat, ut in speciali sejus tractatione videbimus. Dicitur autem absens in Judiciis, qui legitime à Judice citatus, nec in propria persona, neque per procuratorem vel excusatorem legitime in judicio comparet: quod quandoque contingit ex causa ignorantia, cum vel citatio non rectè fuit denunciata, vel citatus extra provinciam profectus fuit.

quan

quandoque fit propter iusta impedimenta morbi, vel itin-
eris: vel denique per contumaciam, cum quis vel lati-
tat, vel malitiosè & pertinaciter sui copiam facere de-
crecat.

123. Contra verò absentiam ut in Judiciis aëtori consu-
latur, ad inventum est remedium citationis, cujus in iure
tres modi seu species recensentur, quod citatio fiat verbis,
Literis & Edictis. *l. cum verò §. hoc senatus. ff. de fideic. libert.*
Verbis ordinariè fit citatio præsentem vel ad domum fami-
liæ ejus. Literis eadem perficitur adversus absentem, in cer-
to loco degentem.

124. Edicto inquiritur plerumque vel incerta perso-
na vel quæ in incerto loco degit: Cui tamen non semper
locus est, sed fere plerumque citatio ad domum, vel per
nuncium præcedere debet: quod si autem propter personæ
incertitudinem hac inquisitione nihil peragitur, admitti-
tur citatio ex edicto generali. *l. si eo tempore. C. de remis. pignor.*
Auth. si omnes. C. ut se ab her. abst. l. si vacanti. C. de bon. vacant.

125. Speciali autem edicto demum deferretur in casu ne-
cessitatis, quando aliò penitus modo citari non potest. *c.*
causa. de dol. & contum. l. Dies. §. prætor. ff. de damn. infect. cum
videlicet quidem persona est certa sed absens est in tali lo-
co, ad quem non tutus datur accessus *Bart. in verb. per*
edictum n. 3. l. de etate. ff. ad S. C. Trebell. deinde & edicto locus
conceditur in possessore vel absente vagabundo. *Bald. in l.*
si accusatoribus. Col. Ulz. C. de Accus. & in l. consentaneum in 2.
nota. C. Quom. & quand. Marant. de Citat. n. 83. & ordinariè
hæc citatio per edictum fit in foro vel curia. *Tiraq. de re-*
tract. consang. §. 9. gl. 3. n. 2. quamvis vagabundorum citatio
quandoque ad domum eorum, duobus testibus adhibitis,
affigi soleat. *l. 4. §. toties. ff. de damn. inf. Menoch. de recup. poss.*
remed. 8. n. 101. & seqq.

126. Fieri autem debet citatio tribus repetitis vicibus
vel semel peremptoriè, quæ integrum temporis spacium in-
cludat. *Wesenb. in parat. ff. de re jud. n. 7.* Nec sufficit ad legi-
timam citationem, ut ea sit facta ad domum rei, sed in su-
per requiritur in Judiciis ordinariis, ut in initio causæ reus
coram

coram & in faciem citetur. *l. 2. quomod. & quand. l. scire oportet. ff. de excus. tut. l. 1. §. 1. ff. de lib. agnosc. Bart. in l. 4. §. Prætor ait. ff. de damn. inf.*

127. Si tamen latitet vel absit fortè, aut maxima diligentia adhibitâ, aliter personæ copia haberi non possit, tum hæc citatio rata est, non secus ac si coram & Præsens citatus fuisset, *l. Fulcinius. §. quid si latitare. & §. fin. ff. ex quib. caus. in pos. eatur. c. quoniam frequenter. §. porro. & ibi gl. ut lite non contest. Bart. & Alex. in d. l. 4. §. prætor ait, & late apud Vant. de nullitate sentent. ex defect. citat. n. 84. & seqq.*

128. Si verò citatus absens semel fuit inventus, vel in personam citatus, eo in contumacia perseverante, postea satis esse videtur, si ad domum, in qua degit, denunciatur, aut si habitationem non habet, Procuratori ejus, vel inquilinis, vel extremum ad Ecclesiam. *l. mihi. §. Prætor ait. de Oper. nov. nunc.*

129. Debet autem porro citatio continere, 1. Nomen Judicis citantis. 2. Nomen ejus qui vocatur. 3. Nomen illius, ad cujus petitionem fit citatio. 4. Causam, quare fit citatio. 5. Locum idoneum, in quo citatus compareat. 6. Tempus oportunum & justum. *vid. Vvesenb. in parat. ff. de injus vocand. n. 13.*

130. Probatur hæc absentia rei inquisiti, vel per discussionem seu inquisitionem factam per nuncios. *Bart. d. l. 4. §. Prætor ait. de damn. inf.* Vel etiam per famam & vulgi opinionem, quæ in hoc negotio, ubi aliqualis tantum probatio requiritur, sufficit, ita tamen, ut hæc fama præ se ferat probabilem absentia rationem.

131. Quomodo autem in dubio judicij constare de absentia possit, an sit in provincia, vel eandem egressus sit, diligentiori inquisitione dignum: & statuunt Dd. si penitus nulla de inquisito haberi scientia possit, ubi commoretur, quod præsumatur provinciam non exivisse, sed adhuc in eadem subsistere. *Menoch. de Arbitr. Jud. sentent. lib. 2. cent. 1. c. 40. n. 8.* nec enim privati præsumuntur pro sua utilitate provinciam exivisse, cum procul dubio id alias dixissent familiaræ, vel generalem procuratorem reliquissent, præsumitur enim

E
ejus.

eiusmodi diligentia in privato in rebus propriis. *l. si constan-*
te. §. si maritus ff. soluto matrim.

132. Si verò absens sit mercator, qui peregrè alias profi-
cisci solitus est, & probetur eum recedentem multas pecu-
nias secum abstulisse, aliudve quid egisse, ex quibus animus
peregrè proficiscendi præsumi possit; vel quia in provinciæ
finibus habitat, ex quibus conjecturis iudex probabiliter
arbitrari possit, eum esse extra provinciam, ad eum perqui-
rendum. Iudex, examinata absentia causa, an sit probabilis,
necessaria, odiosa, favorabilis vel voluntaria, æstimatâ item
temporis & loci longinquitate, ætatis, sexus & valetudinis
ratione habitâ, modo multum, modo parum temporis con-
cedere debet. *Menoch. d. c. 40. n. 9. & 15. Bald. in l. ult. C. quom.*
& quand. & ex quo & bono constituere tempus potest, in-
tra quod citatus comparere queat. L. continuus. §. cum ita. ff. de
V. O. ita tamen, ut ad summum 20 milliaria in una die perfici-
enda statuat, juxta d. l. 1. & ibi gl. ff. si quis caut. l. 3. de
V. S.

133. Huic autem sententiæ non obstat, *d. l. continuus, ff. si*
quis caut. quasi nullum in hoc sit iudicis arbitrium, rectè
enim *Menochius* asserit *d. l.* loqui de communi usu milliarium,
quo tunc Romæ milliaria dimensa fuerunt, quia habitâ ra-
tione communis usus homo tantum in die conficere potuit:
At quia non unius, ut dictum, conditionis sunt homines, co-
rundemq; respectu ætatis, sexus, valetudinis, vel etiam con-
suetudinis maxima est disparitas, ut quilibet viginti millia-
ria in die conficere non possit, optimo jure hoc iudicis arbi-
trio relinqui verius est, *Menoch. de arb. jud. sent. lib. 2. cent. 1.*
cas. 2. n. 12.

134. Hinc militibus in expeditione armis onustis ince-
dentibus, decem dantur in die milliaria conceduntur per-
ficienda, *Veget. lib. 3. de re mil. Coras. lib. Epist. c. 15.* Et ex ea-
dem ratione navigantibus ob ventorum varietatem & in-
certitudinem, certum tempus constitui non potest, *Alciat. in*
l. 3. ff. de V. S. & si ex communi usu justum tempus præfiga-
tur, hæc impedimenta, ut maris tempestas, & alia sunt subdu-
cenda. *l. 2. §. si quis Judicio. 3. ff. si quis caut. l. si cui. §. ult. ff. ex*
quib.

quib. caus. maj. Felinus in c. cum olim. n. 17. statuit: Subducendos quoq; esse dies, qui cultu divino sunt absumendi: Alii & personarum habendam esse rationem putant, ut dies tam dominici, quàm feriati in Clerico subducantur; in Laico autem tantum dies feriati, utpote propter summam festivitatem ab omnibus celebrandi, Menoch. de arbitr. Jud. sent. lib. 2. cent. 1. cas. 2. n. 17. 18.

135. Rectè igitur omnium Judicio prædictæ circumstantiæ à Judice expenduntur, nec enim citati diebus ac noctibus, omni tempestate contemptâ, iter continuare tenentur, modo non tam delicatè progrediantur, ut reprehensione digni appareant, Menoch. d. l. Ante terminum itaq; effluxum non debet, nec potest judex procedere adversus citatum, sed expectanda ejus præsentia, donec tempus præfixum præterlabatur. Bald. in l. ab eo. C. quom. & quand.

136. Utuntur & absentes, ne absentia à Judiciis illis sit damnosa, hoc remedio, ut profecturi constituent procuratorem, vel universalem cum libera, vel sine libera: vel etiam specialem, qui eorum negotia ex mandato in absentia gerunt ad suum emolumentum. l. servum. 33. §. fin. ff. de procur. & vel in agendo, vel administrando: Vel ad lites omnes, vel ad unam. l. 1. §. 1. eod. cujus publicè interesse videtur, ne absentes careant defensore. l. servum. §. 33. ff. eod. l. 4. §. 1. de Action.

137. Quod si autem absens procuratorem dare neglexerit, & citationis factæ ignorans, in termino non compareat, vel comparere non possit, rectè excusator, defensor, vel etiam procurator ejus nomine, etiam sine mandato admittitur. Jul. Clar. in pract. lib. 5. §. ult. quest. 33. vers. sed numquid. qui causas absentia allegare potest, modo talis citati sit absentia, quæ legitimam excusationem mereatur. Bart. in l. penult. §. ad crimen. n. 18. de publ. Jud. in probabilibus enim absentia causis, vel si causas absentia juris, vid. de loco non tuto, vel Judice non competente alleget, procurator sine mandato non erit admittendus, secundum Socinum. vid. Menoch. de arb. jud. sent. lib. 1. quest. 80. n. 48. & seqq. quin imò nec

sufficit, causas duntaxat allegare, sed & insuper probare
convenit. *Ruin. conf. 118. n. 8. lib. 5.*

138. An autem in Judiciis criminalibus publicis quam
privatis, in quibus pœna supra relegationem, vel etiam ar-
bitraria imponi potest, absentis nomine ad agendum & de-
fendendum procurator sit admittendus? apud omnes expe-
ditum non est: Plurimorum & praxi comprobata opinio
admitti non vult, per *L. penult. §. f. ff. de publ. Judic. l. 2. 3. & 8.*
C. de in qui accus. poss. l. 1. ff. an per alium caus. appell. Dd. in d. l.
penult. Marant. in specul. aur. p. 4. dist. 1. n. 35. quæ sententia
non infirmis niti videtur rationibus: quia si reus absens in
pœnam corporalem esset condemnatus, executio non pos-
set fieri in procuratorem, & sic judicia criminalia redderen-
tur elusoria. *Alber. in L. servum. §. Public. de Procur. n. 18.* quin-
imo, licet in absentem condemnatio fieri non posset, procu-
rator tamen ex eo esset puniendus, quod ministerium alieni
timoris recipiat. *l. 1. §. incedit. ad SC. Turpill. Tholos. Synt. Jur.*
univ. lib. 32. c. 24. n. 11. & seqq.

139. Excipiuntur autem nonnulli casus, in quibus pro-
curator admittitur: Cum videl. absens definitivè conde-
mnari potest, quod fit, si reus post litis contestationem abes-
se cœperit. *l. reos. 3. C. de Accus. & Cyn. ibid. modo tamen non*
principalis, sed absentia causa defendatur. L. absens. 71. ff. de
procur. gl. & Dd. in L. 1. An per alium caus. appell.

140. Sic & potest intervenire procurator ad proponen-
das exceptiones, dilatorias, declinatorias, & alias, quæ
ante litis contestationem proponi solent, ut: quod accu-
sator sit infamis, excommunicatus, vel aliàs inhabilis. *Be-*
ned. de Plumb. in L. penult. §. ad crimen. ff. de publ. Jud. num. 52.
dum modo talis exceptio nihil ad crimen ipsum perti-
neat.

141. Pater pro filio rectè intercedit, quia pro suo inter-
venit interesse, *gl. in c. veniens, & ibi Socin. extr. de Accus. affe-*
ctionis enim ratione multa conceduntur, quæ jure ordina-
rio negari solent. L. 2. §. 3. ff. quand. appell. quod & in genere
locum habere videtur, quoties quis suam suorumque inju-
riam

riam persequitur. *Bart. in l. licet. 42. in pr. ff. de Procur. l. cogendum. 45. eod.* Item cum actio criminalis civiliter instituitur ad pœnam pecuniariam. *l. un. C. quand. civ. act. prejud.* Ab universitate tamen rectè procurator in criminalibus dari videtur, *arg. l. 6. §. 1. ff. quod cuiusq. univ. nom.* sicuti etiam illo casu, quo de injustitia & nullitate Banni seorsim à delicto principali causa ventilatur, *Angel. & Immol. in c. veniens. extr. de Accus.* In reliquis si delinquens per Procuratorem compareat, nihilominus contumax reputandus est. *Angel. in l. §. Actor. ff. de Procur.*

142. Moribus tamen nostris & jure Saxonico indistinctè, tam in civili, quàm criminali actione procurator admittitur, quia hac lege accusator non tenetur ad pœnam talionis, si in accusando defecerit, sed tantum ad interesse & pœnam pecuniariam. *Artic. 68. lib. 1. & artic. 5. lib. 2. Fachin. differ. 41. Chilian. c. 47.*

143. An autem absens criminaliter accusari possit? communiter negant Dd. Sed quod tantum libellus contra reum sit offerendus. *L. Absentem. C. de Accus. l. 2. C. de exhib. reus. VVesenb. in parat. ff. de Accus. n. 10.*

144. Maximè hic controversum, & in utramque partem lis agitur, An absens possit condemnari? Ubi distingvendum, ex qua causa reus absit: Num per contumaciam, vel ex metu pœnæ fugiens absit, & citationi deferre nolit: an verò ex alia justa causa, puta ignorantia, aut alio legitimo impedimento citationi parere non potuerit.

145. Priori casu, si solemnibus edictis & denunciationibus non defert, nec suspensionem contumaciæ legitimis excusationibus avertit, inquisitione & condemnatione adversus illum proceditur ad infamiam usque & relegationem. *L. absentem. ff. de pœn. l. absentem C. de Accus.*

146. Excipiuntur autem hic 1. crimen læsæ majestatis. 2. delictum facientis Spadonem. *L. Cornelia. §. constitutum. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* & 3. venalis perfidia apparitorum, *L. Ne diu. C. de pœn.* quæ tanquam gravissima delicta, graviori pœ-

ne subjacent. Hyppol. ad L. Cornel. n. 7. item si lis fuerit contestata. tot. tit. extr. ut lit. non contest

147. Absentium autem, vel etiam facta citatione aufugientium bona iudicis auctoritate an notantur & custodiuntur, nisi intra annum revertantur absentiae crimen purgantes, quo casu restituuntur, itemque si intra annum moriuntur, bona sua ad hæredes transmittunt. l. 1. de requir. reis. & si dehinc tribus edictis citati rei intra annum in iudicio non compareant, in contumaciae poenam bona eorum fisco adjudicantur, & post annum redeuntes in causa principali audiendi quidem sunt, & innocentiam demonstratam absolventi, attamen bona confiscata propter contumaciam non recipiunt. d. l. 1. de requir. reis. & l. uni. §. 3. ad l. Jul. de Ambit. nisi Princeps nominatim bonis restituat.

148. Si verò fugientes sponte revertantur, omnem suspicionem criminis purgare possunt. d. l. 1. C. de requir. reis. nec enim recessisse dicendi, qui animum habent revertendi l. qui sit. §. 1. de edil. edict. præsumunturque animum revertendi habuisse. c. cum contumacia. de Hæred. in 6.

149. Jure Saxonico, si actor non compareat, absolvitur ab instantia iudicii reus, nec prius deinceps actor auditur, quam sumptus hoc nomine factos refundat reo. Landrecht. lib. 2. quo facit. l. sancimus. 13. C. de re Jud. Auth. qui semel. C. quom. & quando. & insuper multam pendit iudici. art. 7. lib. 2. gl. art. 67. lib. 1. reus verò emanens post trinam denunciationem tanquam confessus & convictus in petitionem actoris condemnari solet. Landrecht. lib. 3. art. 39. VVesembec. in parat. de in jus vocand. n. 13.

150. Si verò contra contumaciam rei non compareant, absentes & ignorantes penitus puniri non debent. l. generali. C. de tabul. l. ex maleficio. §. 1. de O. & Act. absentia enim iusta excusationem habet à poena legali, licet non à conventionali. per Corset. in sui singul. lit. P. poena. absentes enim & ignorantes licet de delicto constet, tamen non haberi possunt pro confessis. Jul. Clar. §. senten. §. f. quest. 44. ut neque testes ad perpetuam rei memoriam examinari possint. Clar. d. l.

151. Secus videtur esse de jure Canonico, quo ut puniatur absens, sufficere videtur, si de causa liqueat, vel lis contestata sit. *Oldrad. conf. 65. pr.* Hinc absens excommunicatur *Old. conf. 183.* & quodocumque agitur de periculo animæ proceditur adversus absentem, itemque in omni beneficii & alias sui natura summaria causa, in qua litis contestatio non requiritur, contra absentem sententia fertur. *Lopez. alleg. 10. n. 2. & 5.*

125. Contumacia in civilibus non minoris æstimanda, licet non afficiatur infamia facti, ut in delictis, quippe in omni contumacia iudex severitatem exhibere debet, *c. quanto. 2. quæst. 4.* hinc absens per contumaciam primò damnatur in expensas. *l. sancimus C. de Judic. Auth. qui semel. C. quom. & quand.* & in perseverantem in contumacia tanquam præsentem & confessum. *l. properandum. §. fin. 4. C. de Judic. fertur sententia definitiva l. de citato. §. qui tacuit. de inter. act. l. quamdiu. 68. in f. de acqui. hered. & actos mittitur in possessionem bonorum contumacis ex primo decreto. l. Heres. 19. §. 1. l. de eo 26. de Judic. l. 2. C. ubi in rem. c. Romam. §. contra hentes, de for. comp. in. 6. Specul. in tit. de primo & secundo decreto. §. 1. arg. l. 1. 2. ex quibus causis in poss. & potest in civili debito per iudicem capi personaliter, *l. nullum. & ibi gloss. C. de testib. l. Sacrilegii ff. ad l. Jul. Pecul.* Perdit omnes dilatorias exceptiones *Coter. decis. 103. n. 71.* Spoliatur privilegio fori, nec illius declinatoriam opponere potest. *Bart. in l. ceptum de Judic. Bald. in l. si quis. C. de Episc. aud. Angel. in l. eum qui. de priv. cred. Non potest appellare. l. ex consensu. §. eum qui. ff. de Appell. interrumpit præscriptionem. Bart. in l. 1. pr. Col. fin. ff. de priv. delict.* Potest denique puniri per iudicem incompetentem. *Clem. 1. de rescript. Alex. in l. si quis ff. de Judic.* In Feudalibus contumax requisitus tribus vicibus ad servitia præstanda, privatur feudo. *c. 1. de mil. vafal. qui contum.**

153. Procuratoris tamen absentia & contumacia non nocet Domino, litis appellationem persequi volenti, *l. Dominus litis C. de Appell. l. 1. §. ult. quand. appell.* quia vera contumacia

macia tanquam delictum nusquam præsumitur ei fuisse
mandatum à Domino. *Gvid. Pap. in tract. de appell. quest. 86.* An-
tequam tamen restitutionem petit, procuratorem excutere
debet, quod si non solvendo restituitur ad appellationem. *l. r.*
S. fin. & ibi gl. ff. quand. appell. Sic etiam Absentia advocati
excusationem in ordinario processum meretur, modo non
sit longa. *Gl. & Dd. in l. emancipatus. C. de ban. poss. repud.* Sen-
tentiam tamen non invalidat, *l. 4. C. de postul.*

154. Excusatur autem absens à contumacia propter
legitima impedimenta, videlicet captivitatem, ægritudi-
nem, peregrinationem & expeditionem publicam. *Land-
recht. lib. 2. art. 7. in pr.* quibus annumerantur, quando locus
non est tutus, citatusve non habet securitatem, item quan-
do munere aliquo municipii impeditur, vel tempestate aut
vi fluminis, furore, aut quia sine causa detentus est à magi-
stratu, vel si mulier citata est gravida: Sic quoque qui impe-
diuntur funere domestico, vel ex sententia ad pœnam capi-
talem damnati non comparent. *l. Non exigimus. 2. & seqq. ff.*
*si quis caut. & generaliter quoties quis probabili aliqua oc-
casionem vel opinione ductus, non dolosè à Judicio abest. Co-
ler. part. 1. Decis. 104. n. 33.*

155. Denique & paucis hic agendum de absentia mariti,
quæ etiam per omnia absentiarum genera transit. Alia
enim absentia mariti est necessaria, alia probabilis, & deniq;
alia malitiosa: Circa hæc diversa absentia genera diver-
simodè quæritur: quot annos mulier mariti absentiam ex-
pectare debeat? In quibus annis determinandis maximè va-
riant: biennium requirunt, *in l. si is. C. de sponsalibus.* Trien-
nium *in l. liberam est. 2. C. de repud.* Quadriennium *in l. uxores.*
in pr. C. de repud. Quinquennium *in l. uxores. 6. ff. de divor-*
tii. Septennium *in c. in presentia 19. extr. de sponsal.* Decen-
nium *in nov. 22. c. 14. c. perlatum est. 8. extr. qui fil. sint legit. de*
quibus videatur *Sinckelshaus Obser. pr. iii.*

156. Verum hæc leges ferè omnes Novellis constitutio-
nibus correctæ. *Novell. 117. c. 11.* & hodiè ita deciditur: Vel
enim quis abest ex causâ necessariâ, vel probabili & justa,
ut

ut Reip. vel militiae causa: vel propter captivitatem aut
aegritudinem: aut voluntate mulieris abest in mercatu, aut
alio honesto negotio. Hoc casu statuunt Theologi & Ca-
nonista, quod non possit alii mulier nubere, sed teneatur
maritum expectare, licet longo tempore absit, donec vivat,
usquedum de ejus morte fuerit certiorata. *d. c. in presentia 19.*
C. Dominus. extr. de secund. nupt. ubi dicitur, quod in dubio
praesumatur vivus, licet diligenti inquisitione facta ignore-
tur. Panorm. in d. c. in presentia. n. 4. Homo enim ad 100. usq;
annos vivere praesumitur. l. f. C. de SS. Eccles.

157. Solennitas tamen inquirendi in mortem defuncti
mariti, quae olim maximè erat necessaria. *Auth. hodie. C. de*
repud. Nov. 117. c. 11. hodiè per jus Canonicum sublata est, &
sufficiunt verisimiles & praesumptivæ probationes. c. quoniam
frequenter. 5. S. Si autem. extr. ut lit. non contest. ubi gl. in verb.
praesumatur. Hostiens. in c. presentia. n. 3. probationesque com-
mittuntur arbitrio judicis. l. miles. 11. S. mulier inf. ad l. Jul. de
Adult. & qui secus faciunt, poenam adulterii incurrunt. Nov.
117. c. 11. vers. si a. Auth. Hodie. C. de repud.

158. Si verò de voluntaria, dolosa & malitiosa absentia
quaestio instituat, quando maritus nulla honesta causa
motus, sine voluntate mulieris discedit, & diu vel ex levita-
te, vel impatientia freni conjugalis à conjugè abest, an hoc
casu, & quo tempore nova vota mulieri sint concedenda?
variè disceptatur: Canonista, quia neque per legitimum di-
vortium vinculum conjugale, & ne quidem per mortem,
rumpi asserunt, ante mortem desertoris desertæ non conce-
dunt nuptias: sed & propter eandem causam, secundas
nuptias benedictione sacerdotali indignas esse nungan-
tur.

159. Alii biennium expectandum esse volunt, quia
causa subesse possit, quare clandestina desertio fuerit facta.
c. quoniam. 5. S. si a. Extr. ut lit. non contest. Plerique tamen
hodiè hoc tempus Judicis arbitrio determinandum com-
mittunt. *Salic. ad l. 2. de sponsal. n. 1.*

160. Orthodoxi verò nostri Theologi & consistoriales, defectorem tribus edictis publicis, per legitima intervalla factis, & tam in loco conjugii, quàm trium principum territorii affixis, ad comparandum, & causas sui discessus allegandum, citant; qui si nec per se, nec per alium compareret, parti defectæ liberam potestatem dant, contrahendum cum alio, ex *1. Cor. 7. 15. Joh. Schneid. in tract. de nupt. part. 4. de divort. n. 46. Coler. decis. 3. n. 1. part. 1.*

161. In sponsalibus autem attendendum est, an expresse conventum sit de tempore contrahendi matrimonii, an verò certum tempus adjectum non sit: priori casu, tempore nuptiis præstituto præterlapso, alii nubere potest. *l. 2. C. de sponsal. Posteriori casu distingvendum, num absit ex causa necessaria vel probabili, & debet expectari, donec impedimentum cesset. l. sepe 17. de sponsal. Vel ejus absentia est natalitiosa & voluntaria, nec ultra annum ejus reditum explicare tenetur. d. l. sepe. Quandoq; tamen Judex pro ratione circumstantiarum, pro animi sui religione tempus hoc extendere, vel contrahere potest. Myns. comm. I. tit. de Nupt. ubi in specie de divort. n. 37. & seqq.*

162. Absolutis nunc præcipuis absentia momentis, coronidis loco subjungemus: An in puncto absentia semper opus sit recurrere ad remedium restitutionis, an verò ipso jure tuti esse possimus? Resp. primâ facie, ipso jure videri tutum, idque, quod absente parte fit, nullum esse. *per l. questum. §. igitur. de re judic. junctâ. l. 1. princ. ff. ex quib. causis maj.*

163. Verùm hoc simpliciter verum non est, sed casus nonnulli sunt distingvendi: vel enim fit aliquid contra absentem à præsentibus, & hic si nôrit ejus absentiam, & legitimum impedimentum, actus ejus nullus est, quia præjudicium facit absenti; si verò nescit, tenet quidem actus, sed ope restitutionis absenti succurritur. *gl. in l. questum. ff. de re judic.*

164. Deinde vel fit aliquid ab absente contra alios, quo puncto restitutio locum non habet; absentem enim contra malè gesta restitui jura non patiuntur. *l. Marcellus. in f. ff. de fide;*

fidejuss cum non hic absentia, sed factum ipsius absentis, causa sit læsionis. Vel porro omittitur aliquid ab aliis fieri contra absentem, eo quod non est præsens, quò casu læsus restitutione gaudere debet, quia propter absentiam læsus fuit. *l. ait Prætor. §. & erit notandum. ff. ex quib. caus. maj.*

165. Vel denique absens omittit aliquid facere contra alios, qui in civitate remanserunt, quia propter absentiam facere non potuit, & regulariter exceptis paucis casibus restituitur.

166. Huic autem nostræ sententiæ non derogat. *l. 1. in f. C. de ann. except. l. 1. §. dies ff. quando appellandum. l. contra. C. de inoff. testam.* quod non valenti agere non currat præscriptio: distingvendum enim est, inter impedimentum juris & facti: illò casu non currit præscriptio. *d. l. 1. C. de ann. except.* hòc verò casu currit quidem tempus, sed datur restitutio: *l. 1. de rest. in integr.* exceptis paucis casibus, in quibus impeditorum jura ipso jure illæsa manent. *Ord. de rest. quest. 5. art. 4.*

Ne verò hæc materia in tractatum excresecat,
Claudere nunc rivos teneor, sat prata bibere.

Deo Triuni sit laus
& gloria.

Ad Clarissimum & Excellentem

Dn. DOCTORANDUM.

Culmina, GEISMBJERE, cupis, nunc scandere ho-
norum,

(Quis dignus.) Deus hoc, perpetuabit opus.

Jam bellator equus, nec non malè fatifer ensis,

Regnat; apud doctos Regnat & Ipsa Themis.

Exemplo monstras; Dum pulpita publica scandis,

Et causam firmas non nisi difficilem.

Tranquillet nobis, (ah firmâ pace) severa

(Ah Deus, est flendum, quæ superanda!) mala.

Tunc pietas, Juris vigor, & Meditrina valebit

Hoc paupertino ex corde fovebo metro.

gratulabundus mittit

**Casparus Amthor / Utriusque
Med. Licent.**

F I N I S.



ULB Halle

3

005 132 630



VDA7







5

He 39, 13^a
19

P. 510

DISPUTATIO JURIDICA

Inauguralis

De

ABSENTIA,

quam

Præsente & Auxiliante divino numine
Authoritate & decreto Magnifici, Nobilissimi & Con-
sultissimi Ictorum Ordinis in Illustri Salana

PRÆSIDENTE ET DIRIGENTE

VIRO

Amplissimo, Consultissimo & Excellentissimo

Dn. ERASMO UNGEPAUR,

ICto & Antecessore ibidem Celeberrimo, Consili-
ariè Saxonico Gravissimo, Curiaè Provincialis & Scabinatus
Assessore dignissimo, facultatis Juridicæ Seniore maxi-
mè venerando, Præceptore fautore & promo-
tore suo colendissimo,

PRO LICENTIA in UTROQUE JURE Insignibus
& honoribus Doctoralibus ritè impetrandis
publico examini submittit,

JOACHIMUS GEISMER

Rostochiensis

Ad diem 6. Julij.

JENÆ,

LITERIS STEINMANNIANIS.

Anno M. DC. XXXIX.

